

trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari.

(2) Quid vero si evidenter constet, debitorem invitum, ac necessitate coactum cum iis pactionibus pecuniam accipere debuisse, quoniam sine iis alter nullo modo pecuniam credidisset? Tunc contractum usuræ labe infectum esse, tradit Carolus Gagliardus Inst. Canonic. l. 4 tit. 17 §. 112.

36. Reliquæ sunt pœnæ in eos, qui usuras exercent, Ecclesiæ legibus constitutæ. Ergo criminis usurarum rei, quos nimirum in eo scœno jacere manifesto constat, infames fiunt (1); quæ tamen infamia ex usu, et canonica æquitate tollitur, si resipiscant; et irregulares propter contractam infamiam (2), et intestabiles (3), ita ut eoram, si quæ scripta reliquerunt, testamenta non valeant. Moniti ut redeant ad bonam mentem, si pervicaces fuerint, clerici ab ecclesiastico officio, et beneficio deponuntur, laici excommunicantur (4), ac male parta restituere detrectantibus absolutio sacramentalis, Eucharistia, et ecclesiastica sepultura denegatur (5), et clericus, qui hos homines sepelivit, statim in excommunicationem incidit (6). Sunt et aliæ populorum moribus, ac legibus inductæ pœnæ, et iudex suo arbitrio aut lenioribus utitur, aut asperioribus, uti rerum ratio postulare videtur.

(1) Can. 2 §. Porro caus. 3 qu. 7, c. 11 de Excess. Prælat., L. 20 cod. Ex quib. caus. infam. irrog.

(2) Can. 2 dist. 53, can. 8 dist. 46, can. 4 dist. 47.

(3) C. 2 de Usur.

(4) C. 7 eod.

(5) C. 5 de Usur., c. 2 eod. in 6.

(6) Clement. 4 de Sepultur.

37. Constat autem manifesto, aliquem esse hujus criminis reum, vel ex facti evidentia, quia palam improbum scœnus exercet, vel ex propria confessione in jure emissa, vel ex idoneis, ac fide dignis testibus, vel ex violentis indiciis, librisve rationum, quos reus edere cogitur, ut vel crimen appareat, vel ejus suspicio removeatur (1).

(1) C. 15 de Usur., Clem. unie. §. Ceterum cod., L. 5 et 6 cod. de Probat.

(N. S. In Hispania, Ecclesiastico jure pluribus usurarii pœnis sunt coerciti. Synodus Illiberit. Can. 20, Clericos usurarios excommunicatione, et depositione feriendos, laicos in delicto persistentes, projiciendos ab Ecclesia decrevit. Synodus Lateranensis III can. 25, communionem, et oblationem; et in crimine decedentes ab Ecclesiastica sepultura arcendos voluit, sub pœna

suspensionis, Clericis eos ad præfata Ecclesiastica Officia admittentibus imposita. Synodus Lugdunensis I can. 25, relato in cap. 2 hoc tit. in 6, nedum Lateranensis Constitutionem confirmavit, sed et Ecclesiastica sepultura privandos voluit etiam eos, qui restitutionem fieri testamento mandaverint, dummodo restitutio vel reipsa, vel idonea cautione præstita, peracta non fuerit. Quas quidem utriusque Concilii Constitutiones expressis verbis confirmavit Syn. Penna-fidel. an. 1502 cap. 9, et Tarracon. an. 1551 in Collect. lib. 5 tit. 10 cap. un. Synodus Salmant. cap. 14, excommunicationem latæ sententiæ in ipsos contorquet: eosque jubet publice excommunicatos denunciari. Synod. Valent. an. 1565 Sess. 5 tit. 4 cap. 17, usurarios infames haberi; id quod decernitur etiam cap. 11 de Excessib. prælat. et pœnis à jure statutis puniendos quoque voluit; quin et declarat, contractus usurarios esse, quando ratione tantum temporis res pluris quam valeat, venditur, vel quando anticipata pecunia minoris justo aliquid emitur.—Jure civili, contractus usurarii sunt reipsa nulli: Leg. 31, et 10 tit. 11 Partit V, et leg. 2 tit. 22 lib. 12 Novis. Compilat. Hæredes nequeunt in bona per usuras acquisita succedere, sed ipsa vel propriis dominis, si fieri possit, restitui, vel in defuncti suffragiis impendi jubentur: leg. 2 tit. 15 partit. VI. Pœnæ in ipsos inflictæ sunt infamiæ leg. 4 tit. 6 Partit. VII, et leg. 4 tit. 22 cit. Novis. Compil. In semel perpetrata usura, mutuata pecuniæ amissione, et duplici quam lucrari sperabant, solutione mutantur; in iterata, dimidiæ partis honorum; et in tertio repetita, eunctorum honorum amissione puniuntur: indic. leg. 2 tit. 22 Novis. Compil.)

At novis. Cod. pœnal. inter delicta usuram non recenset.

### TITULUS XVII.

#### DE PœNIS, ET CENSURIS ECCLESIASTICIS.

1. ECCLESIA JUS HABET INFLIGENDI PœNAS.—2. DISTINCTIO PœNARUM, ET CENSURARUM.—3. PœNÆ CORPORALES AB ECCLESIA INFLICTÆ.—4. PœNÆ SPIRITUALES.—5. DEPOSITIO, ET DEGRADATIO.

**E**CCLĒSIAM habere jus infligendarum pœnarum, et eam semper, quoties opus fuit, jus ipsum exercuisse, superiori loco demonstratum est. Sane hominum societas est Ecclesia, et regimen habet à Christo institutum. Ergo jus cogendi homines, qui hac societate continentur, habeat necesse est, cum nullum sine eo jure sit verum, et perfectum regimen; et vero Christus jus ipsum in eam contulit nominatim, dum ei claves dedit, quibus solveret, et ligaret, atque in fontes animadverteret (1).

(1) Matthæus XVIII, 15 seq. Quare divinæ institutioni adversantur Pfaffius, Bohemerus, et ceteri Protestantes, qui nullam à Christo jurisdictionem, et nullum sacrum imperium Ecclesiam habuisse contendunt, et pœnas ecclesiasticas initio non veras pœnas fuisse existimant, sed potius ex pacto, et

conventu pendentes, quoniam Christiani in societatem convenientes, sese pactis adstringebant ad illius leges observandas, atque ad eos, qui his legibus non parerent, jure fraternitatis, et officio privandos.

2. Ecclesiasticarum pœnarum omnium est finis unus, curare videlicet, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ in officio contineantur. Sed non una est earundem pœnarum ratio; sicuti non unum forum, neque una Ecclesiæ potestas est. Ei nimirum duplex est forum, internum, atque externum, et duplex item potestas, altera, quam ipsa habet communem cum omni vera, ac perfecta republica, et altera spiritualis, quæ ejus tantum est propria, quoniam ei uni à Christo data est. Itaque jure veræ, perfectæque reipublicæ pœnas, quæ corpus, et jure spiritualis potestatis pœnas irrogat, quæ animum affligunt. Quæ ad corpus pertinent, proprio nomine dicuntur *pœnæ*, quæ animum attingunt, *censuræ* appellantur (1).

(1) Inter ecclesiasticas pœnas, atque censuras nullum initio discrimen fuisse, cunctasque Ecclesiæ pœnas fuisse tantum spirituales, quæ animum solum affligebant, non corpus castigabant, præter ceteros, putant Van-Espenius Jus Eccles. univers. par. 3 c. 1 n. 2 et seq., Petrus de Marca de collect. canon. c. 8 n. 6, Cavallarius Inst. Jur. can. par. 3 c. 54 §. 2 seq., Selvagius Antiquit. eccles. l. 4 c. 1 §. 2 seq. Eadem est sententia Joannis Morini, et ceterorum, qui Ecclesiam tantum internum, non item externum forum habuisse contendunt. Nam si tantum interni fori potestatem Ecclesiæ concedimus, consequens est, ut ea jus tantum habeat infligendarum pœnarum, quæ animum affligunt, nullam vero in repugnantes externam vim adhibere possit. Sed stans est demonstratum l. 3 tit. 1 §. 7 et seq. p. 5 et seq., Ecclesiam semper habuisse non internum modo, sed etiam externum forum, itemque habuisse potestatem, qua invitos, et repugnantes ad parendum cogeret; idque etiam præstiti l. 4 tit. 1 §. 2 not. 4 p. 2 et seq., ubi præterea dedi Joannis XXII constitutionem editam adversus Marsilium Patavinum. Ex quo efficitur, ut ei semper jus fuerit irrogandi pœnas, quæ animum, et quæ corpus attingerent. Nam ista sic recipiuntur, ut si Ecclesia tantum internum forum habuit, solum animis imperaverit, si utrumque habuit internum, externumque forum, tum in animum, tum in corpus pœnas constituere, et vim, quam coactivam dicimus, adhibere potuerit. Sane temporales, et corpus afficientes pœnæ sunt: multa pecuniaria, flagella, carcer, exilium, ceteræ generis ejusdem. Atqui has pœnas semper ab Ecclesia inflictas fuisse, inter omnes constat, idque à me demonstratum est l. 4 tit. 1 §. 10 p. 11 et seq. Ac magnum semper Ecclesia discrimen constituit inter corporales, et spirituales pœnas, quas illis gravioribus habuit. Synodus Agathensis can. 41 concil. t. 5 col. 530 collect. Labbæi: quem (clericum) inquit, «ebrium fuisse constitit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statim submovendum, aut corporali subdendum supplicio.» Ex hoc Agathensis concilii canone manifestum est, Ecclesiam in criminis clericum utramque constituisse pœnam, et spiritualem, qualis est ejectione à communione per triginta dies, et temporalem, ejusmodi est *corporale supplicium*; et vero utramque hanc pœnam non in interno, sed in externo foro irrogasse.

Nam ea plectit clericum, cujus crimen non in foro pœnitentiæ soli sacerdoti notum esset, sed imo quod omnibus esset exploratum, clericum nimirum, quem *ebrium fuisse constitit*. Eadem est sententia Concilii Venetici can. 6 t. 5 col. 8, et eadem similiter Concilii Matisconensis l. can. 5 t. 6 col. 659, à quo etiam numerantur ictus, quos clericus criminosus accipere debet. Synodus quoque Epaoensis, can. 15 t. 5 col. 715, utramque pœnam discriminat, et spiritualem, qua majorem clericum plecti jubet, et temporalem, quam in minorem clericum constituit. Si Superioris loci clericus, inquit, hæretici ejuscumque clerici concilio interfuerit, anni spatio pacem Ecclesiæ non habebit. Quod minores clerici si præsumpserint, vapulabunt. Par est ratio Concilii Turonensis II., à quo can. 19 t. 6 col. 540, fustigationis pœna plectitur negligentia minoris clerici, Presbyteri autem negligentia privatione communionis per dies triginta. Quo in loco animadvertendum est, hanc pœnam imponi non propter peccatum, quod esset ad forum pœnitentiæ defendendum, sed propter patentem cunctis negligentiam clericum, qui sprete synodi lege, *septimanam facere distulerat* cum alio clerico, quem eadem Synodus vitæ Archi-presbyteri testem esse voluerat. Sic quoque Concilium Narbonense an. 589 can. 1 t. 6 col. 726, clericum, qui purpureis uteretur vestibus, *velut transgressorem legis coercendum* statuit, unde intelligimus, quæ vis esset legis ecclesiasticæ, cujus *transgressores pœnis coercendi* erant. Idemque Concilium can. 15 col. 708 statuit, Subdiaconos desides verbis corripiendos, aut stipendio privandos, reliquos vero clericos flagris coercendos. Quin etiam Abbates, propter jus, et potestatem, quam habebant in subditos suos, hoc est monachos, in eos tum spiritualibus, tum temporalibus animadvertentibus pœnis, neque illis utebantur, nisi flagitium asperiori pœna coercendum videretur. Hinc Socrates histor. l. 4 c. 23 p. 238 ed. Cantabrig. 1720, de Arsenio Abbate Ægyptio narrat, eum grandiores ætate monachos, non item juniores, propter crimen, à communione separasse; quoniam agebat, hos propter excommunicationem contumaces fieri, illos autem ejus metu, et dolore facile resipiscere. Idem quoque sancitum est in regula Isidori Hispalensis c. 17 apud Holstenium cod. Regul. t. 1 p. 195 ed. Augustæ Vindelic. 1759, ubi habentur hæc: *in minori ætate constituti non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentie congruis emendandi sunt plagis*. Eadem occurrunt in regula Maccarii c. 15 apud eundem Holstenium, in regula Benedicti c. 70 ib. p. 155, in regula Aureliani c. 41 ib. 151, eodemque referenda sunt ea, quæ de disciplina maximæ Ecclesiæ in monte Nitivæ tradit Palladius histor. Lausiac. c. 6 p. 908 in Bibliot. PP. Græco-Lat. to. 2 ed. Dücæi Par. 1624. His quidem pœnis, quæ corpus cruciabant, hoc sibi Abbates propositum habebant, ut monachi criminosi emendarentur. Sed hic idem finis est omnium ecclesiasticarum pœnarum, quæ sunt emendationem, ceterorumque exemplum respiciunt. Interim ex eo constat, antiquis Ecclesiæ Patribus ita certum, et exploratum fuisse, ecclesiasticos Prælatos jus habere infligendi pœnas spirituales, et corporales, ut etiam Abbates Regulares utrasque constituerint propter potestatem, quam habebant in monachos, quibus præsidebant. Falsus igitur est Van-Espenius, qui Ecclesiam tantum spirituales pœnas irrogasse, easque meras fuisse censuras, quæ animum affligebant, quique ante evulgatam, ut ipse inquit p. 3 tit. 11 n. 2, et receptum Isidorianam collectionem, Ecclesiam nec pœnis pecuniariis, nec corporis afflictivis in vindictam criminum, aut adversus suarum decretorum violatores, usam fuisse contendit. Quid? An pecuniariæ pœnæ numero habenda non est ea, quam Marcioni Eleutherio Pontificem altero Ecclesiæ sæculo inflixisse scribit Tertullianus l. de

Præscr. hæretic, c. 50 p. 212 ed. Ven. 1744. An exilii loco habendum non est ejici ex Ecclesia, ac relegari? Tertullianus ib. De Cerdone confer Irenæum l. 5 contr. hæres. c. 4 n. 5 opp. t. 1 p. 178 et 179 ed. Ven. 1754. De pactione Schismaticorum Vide S. Cyprianum Ep. 59 ad Cornelliū p. 259 ed. Amstel. 1700 et p. 260 seq. Age vero dejici de gradu, temporariæ pœnæ loco habendum non est? At eo sunt jure usi Episcopi III. sæculo, qua de re consuli poterit Cyprianus Ep. 67 ad Plebes Legionis, Asturic. etc. p. 289. et Ep. 63 ad Stephanum Papam p. 292 seq. An non pœnæ corporis afflictivæ erant fustigationes, carcer, exilium, similes, quibus omnibus Ecclesia usa est, multo ante quam Isidorianæ Decretales in manus hominum pervenirent? Eodem cum Van-Espenio ponendi sunt loco Cavallarius, et ceteri, qui cum eo sentiunt. Ex his autem, quæ supra dixi, manifestum est etiam, quam immerito à quibusdam reprehendatur Innocentius III, quasi ipse rem novam invenerit in cap. 20 de Verb. signific., cum respondit, censuras esse tantum tres: excommunicationem, suspensionem, et interdictum. Non enim ipse primus censuras à pœnis distinxit, quæ quidem distinctio ab antiquissimis usque temporibus semper in Ecclesia agnita, atque probata fuerat; sed tres illas numeravit censurarum species, seu pœnas, quæ proprio nemine censuræ appellantur.

3. Corporales pœnæ, quas ab antiquissimis usque temporibus Ecclesiam adhibuisse constat, præcipuæ sunt: ictus fustium, aut flagellorum, (a) detrusio in monasterium, aut in carcerem (1), exilium (2), multa pecuniaria (3). Ac de isto quidem postremo genere pœnæ cavendum est diligenter, ut omnis procul absit turpis quæstus, et avaritiæ suspicio, cum rei criminum pecuniariæ pœnæ subjiciuntur (4). Itaque huic quidem pœnæ locus esse non debet, cum ratio, ac natura criminis spiritualem postulat (5); et cum ipsa infligitur pœna pecuniaria, non in Episcopi, aut alius ecclesiastici judicis commodum, atque utilitatem convertenda, sed piis locis adscribenda est (6).

(a) (Tolet. Syn. XI can. 3 sancitur, ut Episcopus, Presbyter, aut Diaconus pro Baptismo, Chrismate, aut Ordinatione munera exigens, excommunicatione plectatur; *Subdiaconus vero, vel Clericus et competenti verberare, et debita excommunicatione feriatur.* Hinc colligas necesse est, flagellationis pœnæ clericos dumtaxat inferiores subjectos fuisse. Synod. Bæcar. III can. 7, animadvertens, nonnullos Episcopos tantis cædibus in clericos *effervescere, quantis poterant latrocinantium promereri personæ*, constituit, *ut exceptis gravioribus culpis, nullis debeant verberibus subiacere.* Eadem habet laud. Tolet. XI can. 7.—N. S.)

(1) Consule quæ dicta sunt l. 5 tit. 1 §. 21 not. 1 et l. 4 tit. 1 §. 10 not. 4. Apud Sozomenum hist. eccles. l. 2 c. 5 p. 72 ed. Taurini 1747, memorantur vincula, quibus S. Athanasius Ischyriōnem Presbyterum detinuisse ferebatur. Siricius P. Ep. 1 c. 6 apud Constantium col. 629, monachos, et moniales, à quibus crimen in castitatem admissum fuerit, *in ergastulis* includi jubet. et Concilium Toletanum II. c. 6 apud Labbæum t. 7 col. 566, perpetuo

etiam *damnationis ergastulo* retineri vult Presbyterum, qui causam sanguinis agitaverit.

(N. S. Synod. Hispal. II can. 5 sic decernit: *Desertorem Clericum, Cingulo honoris, atque Ordinis exutum, aliquo tempore in Monasterio deligari convenit; nam non poterit in talibus prævagationis aboleri licentia, nisi fuerit in eis, propter correptionem disciplinæ, subsequuta censura. Et quæ sequuta sunt Concilia eandem quoque pœnam infligendam frequenter constituunt; præcipue Tolet. an. 597 can. 1, quod statuit, ut Clericus de impudicitia convictus, *sit tali clauastro conseptus, ut ceteros suo exemplo corrigat, et ille ex pœnitentia reviviscat; quia ob hanc causam* (ait Syn. Narbon. can. 6) *dirigitur Clericus in Monasterium, ut emendetur.*)*

(2) *Potestatem habetis, inquit Carosus Monachus act. 4 Concil. Chalcedonen. apud Labbæum t. 4 col. 1422, Episcopi estis: vultis in exilium mittere, vultis damnare? Quidquid vultis suscipio à vobis.* Vide l. 4 tit. 1 §. 10 not. 1.

(3) In Comitibus Tridentinis cum Regis Catholici Oratores quererentur, sicuti ex actis Concilii in arce S. Angeli servatis constare testatur Fagnanus in C. *Licet, de pœnis*, n. ult., quod Episcopi nimia facilitate in laicos censuras ferrent, huic rei consultum est à Concilii Patribus, dicta lege, ut iudices ecclesiastici ad continendos in officio subditos primum alias pœnas experirentur, antequam censuras infligerent. Nam sess. 25 c. 3 de Reform. sancitum est, ut iidem iudices, *quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se à censuris, seu interdicto; sed liceat eis contra quoscumque, etiam laicos, per multas pecuniarias.... seu per captionem pignorum, personarumque distractionem, per suos propios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis muerone arbitrio suo, præter alias pœnas, ferire poterit.* Ex quo manifestum est, Tridentinam Synodum agnovisse, et confirmasse potestatem, quam habent iudices ecclesiastici, corporales pœnas infligendi.— Jure Decretalium, iudices Eccles. non vetantur pœnas pecuniarias imponere;—maxime cum pœna arbitrio iudicis infligenda, et in delictis, in quibus à Jure determinata non est: *Collect. Tarracon. an. 1591, lib 5, tit. 15 cap. 2.—N. S.*)

(4) Cap. 15 de Offic. ordin., cap. 3 de Pœnis.

(5) Confer Glossam in c. 3 de Pœnis, ibique etiam Fagnanum n. 5, et Covarrubiam Var. resol. l. 2 c. 9 n. 9.

(N. S. Certe ubi crimen spiritualem à pœnam requirit, pœna pecuniaria abstinendum est: Glossa ad *indic. cap. 3 Ad rem Collect. Tarracon. eod. cap. 2*: *Prohibemus remissiones pro delictis enormibus, præsertim parte non satisfacta, et spirituali pœnitentia non peracta, de pœna infligenda fieri, ne ubi exaggeranda est, ibi fallaci misericordia aboleatur. In lexibus vero criminibus.... multa pecuniariæ locus sit.* Merito igitur Concil. Trident. sess. 25 Ref. cap. 3 decernit, ut Episcopi possint quidem etiam in causis civilibus *per multas pecuniarias procedere*; at statim subnectit: *quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exactæ fuerint, adsignentur.* Eadem habent Concilia nostra, Hispal. an. 1512, cap. 62, Valent. an. 1565, sess. V tit. 4 cap. 20; et Tolet. ejusd. an. Act. II cap. 14.)

(6) Concilium Tridentinum sess. 25 c. 1, et sess. 25 c. 5 de Reform.

4. Gravioris sunt pœnæ spirituales, quæ proprie *censuræ* di-

cuntur, et quarum triplex est genus: *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*. Omnibus his pœnis Ecclesia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo pœnæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ sese à criminibus absteineant; ideo procul habet pœnam sanguinis (1): et in pœnis, quas infligit, modum quædam, et rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviores pœnas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum, qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Marsilium Patavinum, et Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

(N. S. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1. Pagani, Judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *Quid enim*, inquit Apostolus 1 ad Corinth. V, v. 12, *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* In hæreticos vero, Schismaticos, et Apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem ac obedientiam, à qua turpissime defecerunt, redire inde incitentur.

Neque 2 Censuris directe adfici possunt mortui, quippe qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcumque adligaveritis super terram, et non sub terra; ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus*: Leo M. Epist. XC cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare, sive exsecrari, atque adeo etiam indirecte excommunicare, dum fidelibus interdicit illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre; cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. Can. 81, adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*. Et Syn. Brac. 1 cap. 16 alius can. 55: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat.... Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur*.

Neque 3 Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.)

5. Inter ecclesiasticas pœnas recensentur etiam depositio, et degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus. Ita que omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio.

TITULUS XVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

1. CENSURA QUID?—2. DIVISIO CENSURARUM.—3. POTESTAS EXCOMMUNICANDI A CHRISTO ECCLESIE DATA.—4. EXCOMMUNICATIO MORTALIS, ET MEDICINALIS.—5. IN QUOS MEDICINALIS EXCOMMUNICATIO FEREBATUR?—6. IN QUOS EXCOMMUNICATIO MORTALIS?—7. MAJOR, MINORQUE EXCOMMUNICATIO, ET ANATHEMA.—8. EXCOMMUNICATIO LATA, VEL FERENDÆ SENTENTIÆ.—9. EFFECTUS EXCOMMUNICACIONIS MAJORIS.—10. EXCOMMUNICATUS VITANDUS.—11. AN HÆRETICI, SCHISMATICI, SIMILES VITANDI SINT?—12. SUMMUS PONTIFEX, ET EPISCOPI CENSURAS FERUNT.—13. IN QUOS FERATUR EXCOMMUNICATIO, ET QUOMODO EA AB OMNIBUS METUENDA SIT?—14. QUIBUS DE CAUSIS IRROGETUR?—15. PRÆMITTENDÆ MORTIONES.—16. EXCOMMUNICATUS A SUO EPISCOPO UBIQUE EXCOMMUNICATUS HABENDUS EST.

**S**PIRITUALES pœnas proprio nomine *censuras* appellari diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præterissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque pœnis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communionem precum, et Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

2. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est *excommunicatio*, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesiæ, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio*, *abstensio*, *abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesiæ quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos, è Synagoga, et communionem sacrarum ejiciebant, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive exsecrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, et civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Galliæ sacerdotibus narrat Cæsar de *Bello Gallico*. l. 6 c. 15 p. 299 et 500 ed. Lugdun. Batav. 1757. « Si quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicitur.